

University of Groningen

Quomodo heroes in statii thebaide describantur quaeritur

Kate, Rijkel ten

IMPORTANT NOTE: You are advised to consult the publisher's version (publisher's PDF) if you wish to cite from it. Please check the document version below.

Document Version

Publisher's PDF, also known as Version of record

Publication date:

1955

[Link to publication in University of Groningen/UMCG research database](#)

Citation for published version (APA):

Kate, R. T. (1955). *Quomodo heroes in statii thebaide describantur quaeritur*. Noordhoff Uitgevers.

Copyright

Other than for strictly personal use, it is not permitted to download or to forward/distribute the text or part of it without the consent of the author(s) and/or copyright holder(s), unless the work is under an open content license (like Creative Commons).

The publication may also be distributed here under the terms of Article 25fa of the Dutch Copyright Act, indicated by the "Taverne" license. More information can be found on the University of Groningen website: <https://www.rug.nl/library/open-access/self-archiving-pure/taverne-amendment>.

Take-down policy

If you believe that this document breaches copyright please contact us providing details, and we will remove access to the work immediately and investigate your claim.

Downloaded from the University of Groningen/UMCG research database (Pure): <http://www.rug.nl/research/portal>. For technical reasons the number of authors shown on this cover page is limited to 10 maximum.

I

PRAEFATIO

Publius Papinius Statius natus est Neapoli, ubi pater eius praeceptor et poeta erat, cuius scholis de plurimis poetis Graecis habitis¹⁾ haud pauci discipuli intererant, etiam extranei; postea ille Romam migravit. Multa praemia certaminum adeptus erat, etiam in Graecia²⁾.

Itaque haud mirum est filium, qui anno p. C. n. 40 natus erat, et ipsum arti poeticae operam dedisse. Ludis Augustalibus, Neapoli actis, filius primas tulit patre vivente³⁾; post mortem eius etiam in certamine Albano, a Domitiano Romae instituto, praemium accepit carmine pangendo de principis expeditione in Germaniam et Daciam⁴⁾. Cum autem anno 94 in agone Capitolino nullum praemium accepisset, Romam reliquit Neapolimque revisit, ubi anno 96 mortuus est.

Annis florentibus viduam Claudiam uxorem duxit⁵⁾, quae unam filiam habuit; ipse Statius orbus erat.

- Opera eius sunt: a. Achilleis: narratio epica de Achille, quam perficere non potuit.
 b. Silvarum libri V: carmina varia.
 c. Thebais: opus praecipuum, ad quod pangendum pater eum iam excitaverat; cf. Silv. V, 3, 233sqq.:

Te nostra magistro
 Thebais urgebat priscorum exordia vatum;
 tu cantus stimulare meos, tu pandere facta
 heroum bellique modos positusque locorum
 monstrabas. labat incerto mihi limite cursus
 te sine et orbatae caligant vela carinae!

Thebais iter septem heroum Thebas versum continet, qui Adrasto duce Eteoclem, regem Thebanum et Polynici fratri regnum negantem, reprehendere et castigare volunt.

Quod attinet ad rem ipsam, Statius sine dubio multos scriptores Graecos legit, qui eandem historiam narraverant: *poetam ignotum Thebaidos cyclicae; Aeschylum, Sophoclem, Euripidem; Antimachum Colophonium*, Platonis aequalem, qui ipse quoque epos Thebaidem

¹⁾ Silv. V, 3, 148.

²⁾ Silv. V, 3, 141.

³⁾ Silv. V, 3, 225.

⁴⁾ Silv. III, 5, 28; IV, 2, 65; 5, 22; V, 3, 227.

⁵⁾ Silv. III, 5, 23.

scripserat, cuius operis admodum pauca fragmenta supersunt, quod valde dolendum est; nunc enim ignoramus, quatenus Staius Antimachum imitatus sit.

Legrasius quidem contendit Antimachi Thebaidem primarium carminis Latini fontem fuisse (cf. Étude, p. 15), sed quomodo id efficere potuerit, ex illis tenuibus Antimachi reliquiis difficile intellectu est. (Confer B. Wyss: Antimachi Colophonii Reliquiae, Berolini, 1936, p. 17, ubi non insulse dicit auctor Legrasium id contendisse quasi ab ipso Statio comperisset!)

Tamen ad Legrasium magis inclinor quam ad Wyssium: Antimachus enim princeps poetarum aevi Hellenistici et auctor poesis doctae est, cuius lingua difficilis est, permixta nominibus mythologicis, tumida, ut dicit Catullus (95, 10); deinde audiamus, quae Quintilianus de eo scripserit (Inst. Orat. X, 1, 53): „et affectibus, et iucunditate, et dispositione, et omnino arte deficitur.” Staius ipse quoque poeta est, cuius modus dicendi nos de illo poeta Graeco admonet: sermo haud facilis, nomina de mythologia sumpta, cuius operis dispositio et compositio pessima est, quamquam nequaquam dicere velim eum et ipsum omnino arte defici!

Sine dubio autem non solum poetas, sed etiam scriptores pedestres legit de eadem historia agentes, quales sunt: *Apollodorus*, qui medio aevo altero a. C. n. vivens in libro III Bibliothecarum suarum eandem historiam descripsit; deinde e Romanis *Hyginus*, libertus Augusti, qui *Fabularum* librum scripsit.

Etiam *Senecae* tragoedias *Oedipodem* et *Phoenissas*¹⁾ novit; deinde fortasse legit opus *Pontici*, amici Propertii et Ovidii, et epos *Lyncei*, qui uterque Thebaidem scripsit, quae poemata autem perierunt.

Suo tempore videbimus Statium eos omnes scriptores non serviliter imitatum esse²⁾.

Quod attinet ad formam et stilum, Homerum, Ovidium, Lucanum, praecipue autem Vergilium sibi proposuit.

¹⁾ Utrum haec tragoedia imperfecta sit an mutilata, adhuc dubium est.

²⁾ Cf. Pauly-Wissowa, R. E., Teil XVIII², p. 994: „Es fragt sich aber, wie weit man überhaupt einen Dichter als eigentliche Hauptquelle für den Sagenstoff bezeichnen oder vermuten darf, und nicht vielmehr mit einem mythologischen Handbuch zu rechnen hat, wie es Diodor vorgelegen hat.” (Helmius).